

ita vel cespitarent vel omnino a cursu præpedirentur: ipse autem obliquo cucurrit tramite, quem ejusmodi remoris sciebat non impeditum, atque metam primus nullo negotio attigit. Munierat etiam soleis ferreis equi sui calces, ne offenderet si forte in stylum aliquem incidisset quod cæteri non fecere. Attonitis universis et jam regem acclamantibus, detegitur ejus techna venitque in suspicionem, convincitur, damnatur et in frusta conserpitur. » Ita carnis prudentia ambitiosa castigata est in Lesco.

VIII. Ad circumveniendum proximum. Hujus pessimæ prudentiæ exempla aliquot exhibent sacræ literæ. Primo, in Jeroboam rege, qui ut stabiliret sibi regnum, erexit vitulos duos aureos intra fines ditionis suæ, unum in Bethel, alterum in Dan, simulque erexit altaria et instituit sacerdotes ut subjectum sibi populum, nolentem destitui religionis exercitiis, apud se retineret: metuens ne si Jerosolymam (ubi rogabat Roboam, eratque augustissimum Salomonis templum) se conferret adorationis et sacrificii causa, erga Roboam sensim afficeretur, a se vero deficeret. Itaque ut regnum sibi constabiliret, dolum malum excogitavit, quo plebem suam perderet ac regna cælorum privaret. Sed quis hujus doli fructus? Contabuit in primis manus ejus superbe et minaciter erecta contra prophetam, qui ei tantum scelus exprobrabat. Deinde, periit familia ejus funditus: *Propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, et eversa est, et deleta de superficie terræ*, III. Reg. XIII. Secundo, in sacerdotibus Bel, qui ut persuaderent regi Balthasar, Belum deum vivere, adeoque verum Deum esse, jusserunt poni coram eo vinum et escas, claudique et obsignari ostium fani usque in crastinum. Ipsi interim sub noctem per occultos meatus ingrediebantur in templum et ebiberunt vinum ac devorarunt escas: mane autem facto persuaserunt regi Belum comedisse ac bibisse. Verum deprehensi a Daniele, vestigiis cineri impressis, a rege occisi sunt, Dan. XIV. His addamus a profanis litteris unicum exemplum. Dereyllidas homo vafer, e dolis compositus cum Cleomene Spartano bellum gerens, septem dierum inducias pactus est. Tertia abhinc nocte Cleomenis castra nihil hostile præ-sagientia invasit, alios peremit, alios abduxit, sicque pactam conventionem turpiter violavit. Perfidia igitur accusatus, impio cavillo flagitium elusit, dicens, in faciendo fœdere nullam noctium, sed dierum dumtaxat esse mentionem. Verum ob hanc fraudem Argus ei ridere vetitum est; quæ ignominia nota ad insaniam eum redegit. Itaque fraudes nec apud Græcos gentiles impune abierunt; et tamen apud

Christianos subinde honori ducuntur et præmia ferunt, qui fraudes docent. Verum apud Deum exosa et execrabilis est hæc sæculi prudentia seu astutia: *Scriptum est enim*, inquit apostolus: I. Cor. I. *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentium reprobabo*. Quare, auditores, relicta hac stulta et noxia prudentia filiorum hujus sæculi, conquiramus potius nobis prudentiam veram et salutarem filiorum lucis, quæ innitur veritati, quæ æterna considerat, quæ vera ac solida bona quærit in cælo, ubi veri filii lucis in æterna luce degunt.

## CONCIO VIII.

INCITAMENTA AD FACIENDAM ELEMOSYNAM,  
QUAMCUMQUE MISERICORDIAM.

I. Quia res præstantissima. — II. Quia ad hoc obligantur divites. — III. Quia maximus ejus fructus. — IV. Quia nos Christiani speciatim ad hoc obligamur. — V. Quia præclara sanctorum exempla habemus in pascendis esurientibus, in vestiendis nudis, in visitandis ægrotis, in liberandis captivis, in defendendis viduis et pupillis, in sepeliendis mortuis.

## THEMA.

*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.*  
Luc. XVI.

Monitum hoc, auditores: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, in mentem mihi refricat monitum illud divinum, quo Noe jussus fuit fabricare sibi arcam de lignis lævigatis, et in ea mansiunculas, ne cum suis ipse et cum ipsis bestia omnes perirent in diluvio: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis*, inquit Dominus, *mansiunculas in arca facies*. Quid enim arca illa nisi pauperum amicitiam seu meritum elemosynæ? Quid arca mansiunculæ nisi varias in cælo mansiones et tabernacula designat? Quid ligna lævigata, nisi mammona sunt iniquitatis, quæ tamen instar trabis prius lævigari, dedolari ac purgari ab omni iniquitatis scabritie per elemosynæ dolabram debent, quo idonea fiant, ad extruenda in cælo tabernacula? Quod igitur olim Deus ad Noen, dixit: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis*, hoc in hodierno evangelio (morali sensu) explicans ait Dei Filius: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum in mortis agone tremendo illo divino, defeceritis, recipiat vos arca, pauperum ac Dei amicitia vobis conciliata, in æterna tabernacula*. Quare, auditores, si in diluvio illo securitatem de salute vestra, adeoque arcam in-

venire vultis, necesse est ut eam nunc vobis fabricetis. Quod etsi alicujus difficultatis, nec unius diei opus est, faciendum tamen esse, multa sunt, quæ persuadent; uti nunc audiemus.

I. Quia misericordia de elemosyna, res est præstantissima, regia videlicet ac divina. Quare S. Chrys. vocat misericordiam, *torquem filiorum Dei et nobilium sanctorum*. Ita enim ait Dominus: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est*, Luc. VI. Viderunt idem ethnici quoque, Cicero enim pro Ligurio ait: « Nulla de virtutibus plurimis admirabilior nec gratior misericordia; homines enim ad deos nulla re propriis accedunt, quam salutem hominibus dando: » et Pelignus poeta: « Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis. » Laudatur hinc Antonius Pius imperator, qui dicere solebat: *Malle se servare unum civem, quam mille hostes perdere*. Id vero dives facere potest, plurimos, inquam, cives sua elemosyna servare. Quid autem melius, quæso, efficere tuis opibus potes, quam si esurientes et afflictas animas reficias et lætifices? Nonne a morte eos servas, et quodammodo de puteo extrahis? Quare S. Greg. Naz. or. de cura pauperum dicere non dubitavit: « Fias infortunato Deus, misericordiam Dei imitando. Nihil enim adeo divinum habet homo, quam benefacere: » et S. Chrys. hom. XXXVI. ad pop. « Magna res est homo, inquit, et pretiosa vir misericors. Hæc major est gratia, quam mortuos suscitare: nam hic tu de Christo bene mereris: illic autem ipse de te; miracula enim Deo debes. »

Idem sanctus, hom. XXXIII. ad pop. artem hanc ita extollit: *Melius est, inquit, hanc artem dandi elemosynam scire, quam esse regem*: et ho. LI. in Matth. docet hoc melius esse, quam templa ædificare, siquidem animata pauperum templa multo præstantiora sunt lapideis: et ho. LIII. *Hæc nobis mansionem in cælis ædificat, et æterna tabernacula præparat*. Ideo S. Augustinus etiam vasa templi frangi jussit et in captivos atque egentes dispensari, Possidius in vita, cap. XXIV. Et Acacius Amidæ episcopus, ut pauperes Persas (ad septem millia) captivos redimeret, vasa templi vendidit, dicens suis clericis: *Deus noster neque lancibus neque poculis eget: quare convenit hæc in ejus milites afflictos dispertiri*, Socrat. I. VII. c. XXI.

II. Quia ad hoc obligantur divites, ut subveniant indigentibus et miseris. Cum pater mittit plures filios ad academiam, seniori dat pecunias, non tamquam chariori, ut eas sibi tantum applicet, sed tamquam prudentiori, ut eas in aliorum etiam bonum dispenset. Idem facit Deus: divitibus dat opes, ut eas prudenter dis-

pensent et communicent egentibus. Solent reges et principes primogenitos solum filios instituere hæredes totius regni vel ducatus: illis tamen commendare cæteros fratres suos, ut eis pro dignitate suppeditent necessaria, v. g. comitatum, civitatem, etc. idque in testamento suo sæpius inculcant filiis suis primogenitis. Jam vero opulenti, quasi primogeniti habiti sunt a Deo, dum hæredes omnium pene mundi honorum instituti; sed nequaquam ita ut negligant fratres suos minores, imo ea lege et obligatione, ut hos sustentent. Audimus Deum dicentem per Aggæum, cap. II. « Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. » Hinc S. Augustinus, ho. XXX. inter L. telum in avaros torquet pro elemosyna. « Meum est, inquit Deus, argentum, meum est aurum. Non est vestrum, o divites terræ. Quid ergo dubitatis pauperi dare de meo? Aut quid extollimini, cum datis de meo? » Si ergo jubet dari pauperi, jubet de suo dari. Hinc S. Joannes Eleemosynarius dicebat: « Si nostra essent, quæ dantur et ea nobis illata essent in mundum, forte aliqua venia danda esset eis, qui parce uterentur. Si autem Dei sunt omnia, quæ sunt, ejus, omnino jussu in eis quæ sunt ejus servare oportet, » Leontius in vita. Hinc etiam elemosyna appellatur *justitia*, Psalmi XI. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Similiter elemosynæ Cornelii centurionis vocantur a S. Petro *justitia*, Actor. X. § XXXV. Ratio est, quia per elemosynam reddis jus proximo, tibi, Deo; proximo quia homo homini debet humanitatem; tibi, quia tuum consanguineum quodammodo et fratrem adjuvas; Deo, quia reddis ei, quæ ipsius sunt in imagine ejus et membris Christi. Intellexit hoc Placilla Theodosii imperatoris uxor, quæ sua manu fovebat pauperes et infirmos, cumque eam aliqui ab hoc avocare vellent, respondit: *Aurum distribuere decet imperatorem: ego autem pro ipso imperio, ei qui id ipsum dedit, operam hanc offerre debeo*, Theod. I. V. hist. cap. XVIII. Fraudem ergo committit, qui elemosynam pauperi negat, sicut testatur Ecclesiast. c. IV. cum ait: *Fili elemosynam pauperis ne defraudes*, q. d. injuriam faceret hepar cæteris membris, si omnem sanguinem sibi retineret et in membra non divideret; ad hoc enim sanguine abundat, ut toti eum corpori imperat, similiter et avarus, qui ut ait S. Joannes, ep. I. c. III. *Claudat viscera sua ab inope*.

III. Quia maximus ejus fructus. Primo, cum das pauperi, tibi consulis; plus enim accipis, quam dedisti. Audi S. Ambr. de obitu Theodosii: « Bonum, inquit, est misericors qui dum

aliis subvenit, sibi consultit et in alieno remedio vulnera sua curat: » et S. Bas. homil. VI. in det. « Benefactorum gratiæ, inquit, ad dantes revertuntur, dedisti esurienti, tibi consulisti, quod enim dedisti, cum auctario revertetur. » Quare Clemens Alexandrinus, l. I. præd. eleemosynam comparat ludo pilæ, in quo pila projecta, per reverberationem redit ad eum, a quo projecta erat. Hinc S. Franciscus dicebat fratribus suis, ne timerent vel erubescerent mendicare etiam apud mediocres, eo quod majora largirentur dantibus, quam acciperent ab illis. S. Joannes Eleemosynarius pauperes vocabat *dominos suos*, eo quod ab eis opes potius acciperet, quam eis afferret. S. Ludov. Galliæ rex vocabat eos *milites suos*, quod defenderent regnum: proinde etiam se persolvere illis stipendia dicebat. Cosmas Medices magnorum Hetruriæ ducium primus, erga pauperes admodum liberalis, cum hoc nomine prædicaretur, dicebat se in libro initarum cum Deo rationum dati et accepti nunquam potuisse eo pervenire, ut quæ deberet Deo persolveret; nam quo plura dabat, eo plura recipiebat, semperque inveniebat se debitorem, Deum vero creditorem. Memorabile est quod in vita S. Paulini legimus, eum Christi imitatione et amore opes amplissimas in pauperes erogasse, et ex ditissimo factum pauperissimum. Cum quadam die pauper ab eo stipitem peteret, dixit B. Terasiæ olim conjugii, tunc sorori suæ, (cum ea enim vivebat in continentia) ut eam illi daret. Respondit Terasia, se non habere nisi unicum panem. Jussit tamen Paulinus illum dari. Terasia timens ne in prandio non haberet quod apponeret Paulino, panem non dedit, sed servavit. « Interea, inquit Greg. Tur. l. de gloria confes. c. CVII. advenerunt quidam dicentes se missos a dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem; sed pro hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum trifido abstulerit navim. Tunc vir Dei conversus ad mulierem ait: Intellige, te illi pauperi unum panem fuisse furatam, et ideo hanc navim esse mersam. » Ex adverso dum idem Paulinus jam Nolæ episcopus, adeo liberalis esset, ut cum fruges omnes erogasset in pauperes, tandem seipsum pro filio viduæ redimendo servituti manciparet, paulo post Dei nutu a rege Wandal. agnitus cum suis civibus omnibus, atque onustis frumento navibus Nolam est remissus: « Sicque factum est, ut qui se in servitium solum traderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret, illum videret imitatus, qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cujus

sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis, » ait S. Greg. III. dial. I.

Secundo, misericordia ad Deum ducit. Refert Leontius, in vita S. Eleemosynarii, quod ipsi noctu in somnis adparuerit Misericordia, specie puellæ ornatissimæ et sole splendidioris, quæ coronam de ramis olivarum in capite gestabat, dixitque ei: « Ego sum prima filiarum regis: si me possideris amicam, ego te ducam in conspectum imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, et salvare homines. » Ad hæc refert vidisse Sabinum monachum, quod eadem puella ita splendens, et olea coronata morientem Joannem exceperit, et ad Deum deduxerit, indeque cognoverit, Joannem eadem hora esse defunctum, et propter eleemosynas ad cœlites evectum.

Tertio, non sinit hominem perire, quemadmodum nec arca permisit mergi Noe. Fuit olim apud Romanos asylum Misericordiæ templum, sic dictum, quod nemo ad id confugiens, inde posset extrahi. Hujusmodi templum et ara apud nos est misericordia et eleemosyna. Audi S. August. ho. XXXIX. inter. L. « Ante fores gehennæ, inquit, stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti: » et S. Chrys. ho. XXXIII. ad populum: « Eleemosyna, inquit, adstat tribunali, non tantum patrocinians, sed et ipsi iudicii persuadens, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententiam ferat. » Confirmatur hoc ex S. Jacobi epistola, c. II. ubi ait: *Superexcaltat misericordia iudicium*, id est, superat et vincit iustitiam et Deum iudicem, ut pro misericordie sententiam ferat. Ita exponit S. Aug. in Ps. CXLIII. dicens: « Superponitur misericordia iudicio, in quo inventum fuerit opus misericordiæ: etsi habuerit forte aliquid in iudicio, quo puniatur, tamquam unda misericordiæ, peccati ignis extinguitur. » Clare etiam Tobias, cap. IV. dixit: *Eleemosyna a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Non memini me legere, inquit S. Hieron. ad Nepotianum, mala morte mortuum, qui libentes opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores et impossibile est multorum preces non exaudiri.* Hinc etiam S. Paulus, l. Tim. VI. jubet moneri divites, ut non sperent in incerto divitiarum, sed thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam. Vidit enim apostolus difficillimum fore in illo die stare ante iudicem: quod testatur imprimis Nahum, cap. I. dicens: *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?* Et Malachias cap. III. *Quis stabit, inquit, ad videndum eum?*

*Ipsæ enim quasi ignis conflans, etc.* Quare ut ante iudicem stare queant divites, fundamentum eis bonum et solidum proponit et suadet apostolus, l. Tim. VI. misericordiam et eleemosynam; seu (ut ipse ait) *Facile tribuere et communicare.* Non constituent sibi fundamentum bonum, si prudenter sciant loqui, ingeniose discurrere, aulicos mores componere, scite saltare, pugnare, equitare, escas dividere, linguis externis loqui, etc. sed si pascant esurientes, vestiant nudos, etc.

IV. Quia nos Christiani specialem habemus causam, ut qui scimus dare nos Christo, quod pauperibus damus. Cujus rei, præter expressum Christi testimonium, non unum habemus exemplum, S. Martinus chlamydem se pauperi dare existimavit, Christo ipsi dedit, qui sequente nocte in ea ipsi apparuit, dicens: *Martinus adhuc catechumenus hanc vestem contexit, Sulpit. in vita, c. VIII. S. Martyrius pallio suo leprosum involvens, sensit se Christum involvisse, a quo postea vocem hanc audivit: Martyri, tu non erubuisti me super terram, ego te non erubescam super cælos, refert S. Gregorius, hom. XXXIX. in evang. S. Catharina Sennensis, cum tunica se spoliasset, eamque pauperi dedisset tempore præfrigendo, nocte proxima vidit Christum, eam tunicam margaritis coruscantem manu tenentem, audivitque: Dabo tibi vestem invisibilem, quæ a te arceat omne noxium utriusque hominis frigus.* Atque ex eo tempore nullum amplius frigus sensit: unde hierno et æstivo tempore semper iisdem utebatur vestibus, ut in ejus vita.

V. Quia præclarissima habemus sanctorum exempla, quibus stimulant nos ad se imitandum. Panis et potus dandus est indigentibus? Exemplo est S. Exuperius Tolosæ episcopus, qui (ut ait S. Hier. ep. ad Rust. mon.) *Vidua Sareptensis imitator, esuriens pascit alios et ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena: omnemque substantiam Christi visceribus erogavit.* S. Dominicus, qui adhuc juvenis in communi Hispaniæ fame vendidit libros suos, pretiumque et alia sua omnia in pauperes distribuit: quod idem in Burgundiæ fame fecit Ecdicius senator, qui ad quatuor millia pauperum assidue sustentavit. Unde vocem de cælo meruit: *Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi et seminæ tuo panis non deerit in sempiternum, Gregor. Tur. l. II. hist. Franc. c. XXIV.* Judocus Britonum regis filius, panem unicum, cum haberet ad victum quotidianum, petentibus eum pauperibus dedit, dicens: *Deus nobis providebit.* Et ecce per fenestram visæ sunt in alveo fluminis quatuor naviculæ victualibus

onustæ; quæ a quo illuc delatæ sint, nunquam indagari potuit, Florentius abbas, in ejus vita. Leo I. nondum imperator, cum cæco sitiienti aquam quæreret, doctrice Deipara, eam in luco reperit, quam non solum cæcum refocillavit, sed et illuminavit, fierique tandem imperator meruit, ut ei promiserat Virgo, Bar. an. 457.

Vestiendi nudi? Præter SS. Martinum et Martyrium, de quibus paulo ante, aliosque, ecce tibi S. Franciscum, qui cum adhuc sæcularis esset, vestivit militem pauperem, viditque nocte sequente palatium augustum et amplum; cumque rogaret cujus essent illa omnia, audivit: *Tua erunt tuorumque militum, S. Bonav. in ejus vita.* S. Elisabetha pauperi cuidam donaverat suum pallium, cumque maritus Thuringiæ princeps id ab ea repeteret, ipsa in pertica pendulum sibi miraculo restitutum ostendit. Refert Jac. Spirensis, in ejus vita.

Visitandi sunt ægroti? Stimulum præbet S. Bernardinus, qui cum an. 1400. Senis ingens lues grassaretur cum horribili fœtore et morte plurimorum, ipse duodecim adolescentibus ignita oratione persuasit, ut ægris se duce totos impenderet; prævitque obsequentibus ipse officiosissime, Sarius, 20. maii, in vita. Gallicanus, vir consularis, triumphalibus coronis insignitus ad ostia Tibernia secessit et hospitali atque infirmorum servitio totum se addixit; hocque pio ministerio meruit fieri martyr sub Juliano, Bar. in martyrol. 25. junii. Exercuerunt se strenue in eodem obsequio Placilla Theodosii imperatoris uxor, S. Radegundis Franciæ regina, S. Elisabetha regis Hungariæ filia. Quis detrectet, imo quis non ambiat agere, quod tanti viri ac femine cum summa delectatione fecerunt?

Liberandi sunt captivi? Fecit id S. Paulinus episcopus Nolanus, tradens semetipsum in captivitatem pro redimendo viduæ filio a Wandalica servitute, qua re effecit, ut a Wandalo rege agnitus cum honore et munere omnium captivorum suæ civitatis, domum sit dimissus. Fecit S. Sanctulus qui pro diacono captivo se vadem et captivum Longobardis obtulit; sed cum plecendus esset, carnifici manus gladio armata obriguit. Quam ubi Sanctulus ei restituit, liber dimissus est, donatque ei omnes captivi, S. Greg. III. dial. c. XXXVII. Aliqui etiam sacra vasa distraxerunt, quibus redimerent captivos, uti Acacius Amidæ episcopus ad redimendos Persas hostes, licet, fame tabescentes, a Romanis captos, apud Socr. l. VII. c. XI. Deo gratias episcopus Carthag. ad liberandos Christianos e Wandalica captivitate, apud Vict. Utic. l. I.

Wandal. Cæsarum episcopus Arelat. apud Cypr. ejus discipulum in vita.

Defendendæ viduæ et pupilli? Enituit in hoc opere S. Ivo, quem anno 1347. Clemens VI. pap. retulit in sanctorum numerum. De quo inter alia scribit auctor vitæ ejus apud Surium, 29. maii. «Pupillos et orphanos egregie tuebatur, et eorum causa diversis in locis adibat judicia, patronum se illis exhibens, neque tamen id spe alicujus muneris aut præmii, sed pietate et justitia permotus; imo vero suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset a Domino audire: Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Inde factum est, ut in illa regione merito appellatus sit advocatus pauperum.» Et antè: «Orphani, afflicti, calamitosi homines ejus fovebantur humanitate et patrocinii; inter discordes conciliabat pacem et amicitiam; eos, qui carceribus detinebantur, hortabatur ad patientiam, et cum proferenda ab ipso esset in judicio sententia, sine lacrymis id non faciebat. In misericordiæ opera totum se impendebat; toto pectore quæ sunt hujus mundi despiciens et celestibus semperque mansuris bonis inhians.» Et inferius: «Alienigenas, pauperes; item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud secus ac fratres suos humaniter excepit, ad mensam sibi assistere voluit, de cibis suis illis apposuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluit.» Unde et per miraculum panes in pauperes erogando sibi multiplicari, ac Christum ipsum, aut certe angelum Christi vicarium, specie pauperis, mensæ socium habere meruit.

Sepeliendi mortui? Celeberrimi in hoc actu Joseph et Nicodemus, immortale pietatis exemplum nobis reliquerunt, cum Christum Dominum sepelierunt. Secundum hos Asterius senator Cæsareæ qui cum S. Marini martyris corpus capite truncatum, subjectis humeris et substrata, qua induebatur, veste exciperet, et deferret ad sepulturam, honorem, quem martyri detulit, continuo et ipse martyr accepit, Bar. in martyrol. 3. martii.

Quare, auditores, apprehendamus quæso securim, incipiamus, si nondum cœpimus, pergamus fabricare nobis arcam; lævigemus ac purgemus ponderosas opum trabes ab omni iniquitate et superfluitate: mittamus ligna super ligna, eleemosynam, quo perficiatur et solidetur arca, meritum vitæ æternæ, ut in tempore diluvii, mortis, inquam, articulo, securi navigare, imbres æque ac fluctus contemnere possimus. Quid putatis dixisse in seipsos, miseros illos homines, qui vaticinio illius Noe credere noluerunt,

tandem vero experti sunt diluvii incrementum! O quam doluerunt: quod exemplo Noe non fabricarint sibi navim! O Noe, credo, dixerunt: O Noe, quam tu sapuisti, et quam nos despiciamus! O si jam liceret, vel naviculam nobis parare, quo pretio eam non emeremus! Quid prodest nobis jam pecunias corrogasse, quas uno tractu fluctus hauriunt? Quid prosunt pecuniarum trabes, quibus innatamus ad unam forte horam, brevi demergendi? *Quid profuit nobis superbia? Aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?* Transierunt omnia illa, nullo nostro fructu. Ne ergo cum Phrygibus illis sero sapiamus, nunc, nunc, auditores, faciamus nobis arcam de lignis lævigatis: faciamus nobis amicos, inquam, de mammona iniquitatis, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.

## CONCIO IX.

## INCITAMENTA AD ORNATUM TEMPLORUM PROMOVENDUM.

I. Quia templa domus Dei et patronorum. — II. Quia est judex religionis nostræ. — III. Quia hæc munificencia melior videtur eleemosyna. — IV. Quia hæc ratione divitiæ purgari possunt, et peccata redimi. — V. Quia magna hujus munificentiae merces.

## THEMA.

*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. XVI.

Debemus certe manibus palpate, quod Deus noster non velit mortem nostram, sed ut magis convertamur et vivamus. Ecce enim iterum in hodierno evangelio erudit nos fideliter, qua ratione iram Dei effugere et pericula imminentis judicii cavere possimus, dum docet amicos nobis quærendos, qui in nostra defectione recipiant nos in æterna tabernacula. Si plures eadem navi veheremur, et peritus quispiam moneret, navem certo in ponte proximo collidendam et frangendam esse: non est mihi dubium, quin omnes nos sedulo circumspiceremus, si quam in fluvio trabem aut stipitem, cui adhæreret, cerneremus, vel certe alicui perito et forti natatori nos adjungeremus, eumque blandissimis verbis demulceremus, ut nos natandi imperitos, secum eveheret. Hoc facit hodie Christus, videt enim certissimo navem corporis nostri paulo post ad pontem mortis allidendam, propterea monet nos ut nobis provideamus de opitulatore: *Facite vobis amicos, etc.* Sed qui sunt isti amici? Pauperes primo, natatores optimi, quia leves et expe-

diti, graves opibus divites facile secum evehent. Deinde sancti, Ecclesiarum patroni, hi enim proprie sunt amici illi qui ad æterna tabernacula, in quibus jam securi habitant, recipere nos possunt. Possumus vero eos facere amicos nostros, si eorum aedes sacras, quas in terris habent, ditemus et ornemus nostra munificentia; ad quam invitant nos non pauca, nec levia argumenta.

I. Quia templa sunt domus Dei, et patroni communis nostri patris patriæ. Decet autem omni modo uti regnum vel gens aliqua, si velit regem suum habitare secum, extruat ei palatium pro regis dignitate. Itaque decet etiam ut Deo præparetur habitatio digna quantum fieri potest, si velimus eum habitare nobiscum. Tametsi enim totus orbis templum quoddam est, in cujus angulis omnibus necessario semper adest, id tamen nobis nequaquam sufficere debet, qui volumus præterea ut singulari suo adjutorio et benevolentiae oculo, imo etiam reali humanitatis suæ præsentia in eucharistia nobis adsit et invigilet, adeoque sicut cum beatis habitat per gloriam in cælo, ita nobiscum sit in terra per gratiarum effusionem. Quod cum maximum sit beneficium, decet proinde talem constituere illi ædem, quæ cæteras habitationes nostras superet. Propterea Dominus habitaturus inter Israelitas petiit pro domo sua aurum, argentum, gemmas, ligna Setim, pretiosissima quæque, etc. Exod. XXV. Postea David etiam præparavit templi fabricæ impensas totis viribus centum millia talentorum auri, et millies millia talentorum argenti, præter alia necessaria: et tamen quasi hoc parum esset, addit se hæc præparasse in paupertate sua, I. Par. XXII. Causam vero tantæ præparationis assignat ibi cap. ult. dicens: *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Quid fecisset, si Deum in eucharistia præsentem corporaliter habuisset in templo, uti nos? Porro templum id extractum est a centum quinquaginta millibus artificum et sexcentis. Quæ omnia declarant, non posse satis exornari domum illam, in qua Deus habitaturus sit. Hinc secuti Christiani tot magnifica templa extruxere, tot fundis et redditibus dotavere, ut etiamnum miretur totus orbis: et merito quidem, quia Deum suum peculiari modo secum in templis habent, personaliter videlicet in s. eucharistia. Quod si gentiles quoque magnificentissima diis suis extruxere templa, uti Pantheon et templum Pacis Romæ; templum Dianæ, quod Plinio teste, l. XXXVI. c. XIV. in Epheso, annis ducentis et viginti extractum fuit, quid non decet facere Christianos ad ornandam domum Domini? Quid?

Apes nos hoc edocent. Ipsæ enim communi labore, regias imperatoribus suis futuris in una parte alvei extruunt, amplas, magnificas, separatas, ut scribit idem Plinius, l. XI. c. XI. Hoc vero cum naturali industria faciant, miraculo idipsum facere ss. eucharistiæ visæ sunt aliquando, cum sacerdos in terram cadens, sacram amisisset pyxidem, apud Jo. Garet. cent. XV. Iterum cum mulier eucharistiam in alveare poneret, apud Cæsar. l. IX. c. VIII. Apes enim e cera perpulchram ei ædificare capellulam. Pu deat ergo nos a brutis vinci animalculis.

Sed fere unusquisque de domo tantum sua sollicitus est, eam adornat, implet, accommodat, ut omnia niteant; lecti molles, argentea pocula, vestes sericæ præparantur, de domo autem Domini, ejus altaribus, vasis, vestibus non curatur, niteantne an sordeant. Adverterat hoc in se quoque David rex qui ait, I. Par. XVII. *Ecce ego habito in domo cedrina, arca autem fœderis Domini sub pellibus est.* Unde et animum mox adjecit ædificandi templum Domino. De hac negligentia conqueritur Aggæus, c. I. *Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, et domus ista deserta? Et quid ad hoc Deus? Resperistis ad amplius, et ecce factum est minus: et intulistis in domum et exsufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? Quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam: propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, etc.* Quia enim homines de domibus tantum suis solliciti erant, ut ea opibus, et horrea sua frumentis replerent: domum autem Dei nudam et spoliatam reliquerant, apte puniti sunt, ut et ipsi domos atque horrea nuda et inania reperirent. Hoc igitur intellecto Zorobabel cum populo animum adjecit ad restaurandum templum. Nemo fere est, qui hoc tempore non adlaboret ut quam plurimam messem in horreum suum convehat: paucissimi vero cogitant, quid pro gratiarum actione in domum Dei afferant.

II. Quia templum est index religionis et pietatis nostræ: sicut gloria alicujus civitatis vel oppidi est, si publica ædificia sarta tecta conservet, pontes incolumes, vias nitidas, et stratas, etc. Hinc enim Carolus V. imp. urbem aliquam ingrediens ad tria imprimis attendebat, ad templum an ornatum esset, ad horologium, an æquum, ad plateas, an mundæ essent, indeque conjectabat civium pietatem, industriam et honestatem, Corn. in Isai. Ea enim solent homines ornare, quæ amant. Certe videmus in tabernis multorum insignia helluonum, quia tabernas amant. Dicerem et ego te amare decorem domus